




  
Kb  
2147





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.







N<sup>o</sup>. 4.















DISPUTATIO JURIS PUBLICI  
DE  
TUTELLIS II.  
TUTORIUM  
DIVINI NUMINI AUSPICIO  
Consequens Magni. Germani Ordinis  
Viro Illustrissimo. Praeside. Senatore. etc.  
D. HENRICO COCCIO  
HABITANTE IN  
URBE AUSTRIACA  
A. M. D. C. LXXV. CA  
A. M. D. C. LXXV. CA  
IN AUSTRIACA URBE  
PUBLI. LIBRARIUS  
A. M. D. C. LXXV. CA  
MAGNIFICENTISSIMO SENATORI  
D. HENRICO COCCIO  
A. M. D. C. LXXV. CA





DISPUTATIO JURIS PUBLICI;  
DE  
**TUTELIS IL-  
LUSTRIUM,**

<sup>QVAM</sup>  
DIVINI NUMINIS AUSPICIO,  
*Consensu Magnif. fCtorum Ordinis*

PRÆSIDE  
VIRO MAGNIFICO, PRÆNOBILISSIMO, JURIS-CONSUL-  
TISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO

**DN. HENRICO COCCEJO,**

JURISCONSULTO CELEBERRIMO,  
SERENISSIMI ac POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-  
DENBURGICI CONSILIARIO, FACULTATIS JURIDI-  
CÆ ORDINARIO, & h. t. DEGANO,

ANTEA  
SUMMI REGIMINIS STATUS ELECTORALIS PA-  
LATINI CONSILIARIO, & COLLEGII REVISORII ASSES-  
SORE, IN ALMA HEIDELBERGENSI DECRETAL. PANDECT.  
& JURIS GENT. P. P. ORD. MERITISSIMO,

*PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO COLENDO,*

D. VI. Maji. AN. O. R. M DC XCIII.

*In Auditorio fCtorum*

Placido Eruditorum Examine submittit

AUTOR

**MARQVARDUS LUDOVICUS de PRINTZEN,**  
Eqves Westphalus.

*Frankofurti ad Viadrum, Literis CHRISTOPHORI ZEITLERI,*

*Illustrissimo Domino  
de Tankelmann, Mi-  
nistro Status intimo et  
Generali Commissario  
Domino meo Benignissimo*



DISPUTATIO JURIS PUBLICI

# TUTTI II

F. RUSBERGII

DR. HENRICO COCCIO

KÖN. PR. FR.  
UNIVERS.  
ZVHALLE

MARCOVARDIS LUDOVICUS

Edes in ...





*Serenissimo atq; Potentissimo  
Principi ac Domino,*

**DOMINO  
FRIDERICO III.**

**MARCHIONI BRANDENBURGICO,  
S.R.I. ARCHICAMERARIO & ELECTORI,  
DUCI**

PRUSSIÆ SUPREMO, MAGDEBURGI, JULIÆ,  
CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANORUM,  
CASSUBIORUM, ac VANDALORUM, in SILESIA,  
item CROSNÆ & SVEBUSII,

BURGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI  
HALBERSTADII, MINDÆ & CAMINI, COMITI HO-  
HENZOLLERÆ, MARCÆ & RAVENSBERGI,  
DYNASTÆ in RAVENSTEIN, LAUEN-  
BURG & BUTOW,  
&c. &c. &c.

**Domino Suo Clementissimo**

Hanc Disertationem  
in pii obsequii pignus  
atqve se ipsum

Humillimè offert  
MARQVARDUS LUDOVICUS  
DE PRINTZEN.



Reverendissimo ac p. Potentissimo  
Principi de Domino  
FRIDERICUS III.  
MARCHIONI BRANDENBURGICO,  
S.R.I. ARCHICAMERARIO & ELECTORI,  
D. U. C. I.  
PRINCEPS SVEVICI, MAGDEBURGI, JULIÆ,  
CIVITATIS MONASTERICI, POMERANORUM,  
CASSUBORUM, VANDALORUM, in SILESIA,  
in CRONIA & SVEBISII, in  
BLISGRAYO NORIMBERGENSI, PRINCIPIS  
HABERSTADII, MINDÆ & CAMBRIGIÆ, COMITIS HO-  
HENOLLE, MARCÆ & RAVENSBURGI,  
in DYNASTIA RAVENSTIN, LAUB-  
BURG & RUTOW,  
Domino suo Clementissimo  
ad hanc & extera loca  
in p. obsequii dignis  
adve se ipsam  
Ipsius offerre  
MAROYARDUS LUDOVICUS  
DE KRINTZEN



*Serenissime atq; Potentissime*  
**ELECTOR,**  
*Domine Clementissime,*



Um Francofurtô, ubi  
per sexennium admo-  
dum sub felicissima at-  
que Potentissima Tute-  
la Tua, *Serenissime Elector*, stu-  
diis operam dedi, jussu eorum, qui-  
bus parere nolle religioni duco,  
ad alias & exterarum regiones com-  
migrandum mihi fit, inusitatam  
Tuam erga me meosq; Clementi-

evp

a 3

am



am parùm summissè agnoscere  
viderer, nisi priùs flexò Te genu  
adirem, atq; Sacro Nomini Tuo di-  
cata studia mea, quæ unicū suum  
præsidium à Tua Benignitate ex-  
spectant, humillimâ mente Tibi,  
*Domine Clementissime*, commen-  
darem. Licèt verò nihil quicquam  
hïc inveniatur, quod dignum sit,  
cui Augustum Nomen Tuum præ-  
scribam; non dedignaberis tamē  
benignè suscipere hoc qualecunq;  
est devotæ Tibi mentis ac summis-  
sæ pietatis meæ signum. Quod  
ut non tam sperem, quàm planè  
de eo confidam, singularis Tua  
Clementia, *Electo Auguste*, facit,  
quâ



quâ me, tum olim orationem Pa-  
negyricam Tibi humillimè offe-  
rentem, tum nuperrimè nomine  
commilitonum meorum summis-  
sè gratulantem excipere dignatus  
es. Ego certè, quod unicè pos-  
sum, id sedulò dabo operam, ne  
Benignissimæ Voluntati Tuæ  
pietas mea atque industria desit,  
sed omnibus viribus in id adni-  
tar semper, ut cunctos studio-  
rum meorum fructus, si qui o-  
lim esse poterunt, Tibi, *Domine*  
*Clementissime*, in humillimi obse-  
qvii pignus consecrem. Divinum  
verò Numen Te, *Serenissime Ele-*  
*ctor*, quàm diutissimè salvum atq;  
fosp-

MARCVS LUDOVICVS DE PRINZEM



ospitem fervet, omnigenaq; quæ  
Electoralè illud fastigium Tuum  
ornare potest, felicitate beet, ut  
novis semper titulis auctus, omni-  
bus seculis, *Germanicæ libertatis*  
*Assertor*, *Orientis Victor*, *Occi-*  
*dentis Timor*, *Subjectorum Amor*,  
*Literarum denique Stator Beni-*  
*gnissimus* audias. Quod summis  
usq; precibus & piâ mente vovet.

**TIBI**

SERENISSIME atq; POTENTISSIME

**ELECTOR,**

DOMINE CLEMENTISSIME,

Ad humillima obsequia

Devotus

MARQUARDUS LUDOVICUS de PRINTZEN,





## Proœmium.

### §. I.

**N**ulla est materia, quæ utilitate pariter ac necessitate se publicæ rei commendare potest, sanè illa est, quæ de Tutelis agit. Hujus enim naturam si penitiùs intropiciamus, inueniemus sanè, tantæ eam necessitatis esse, ut sine illa genus humanum, nedum benè ordinata respublica consistere haud possit. Pupilli quippe, in quorum personis & rebus ritè gubernandis tutela versatur, sunt quasi semina quædam generis humani, quæ si peribunt, & ipsum genus humanum interire necesse est, cum infantes se ipsos nutrire nequeant, & nullum animal sit tam indigum ope aliorum, quàm homo recens natus: quò pertinet illud Æschyli dictum apud Grotium L. 2. c. 5. §. 2.

*Ætas prima ceu brutum pecus*

*Ut educetur mentis aliena indiget.*

Quin imò hoc quoque patet ex naturæ facto, quæ eo ipso, quo produxit immaturos infantes, per quos genus humanum propagetur, voluit etiam, ut hi maturi fiant; alias enim prorsus evanesceret finis ille propagationis hominum. Ad plenam autem maturitatem sine tutela, quæ in educatione & morum formatione consistit, recens natos pervenire non posse, adeò manifestum est, ut nulla prorsus probatione indigeat.

A

§. II. Hinc



§. II. Hinc fanè clementissimè hominibus prospexit natura, quæ concessa parentibus generandi facultate, iis simul tacitè quodammodo injunxit, ut proli suæ tam diu prospicerent, usque dum ipsi res suas curare possent, sicuti hoc ex ipsis instinctibus apparet, qui non sunt indefiniti erga quosvis, sed tantum generantibus proprii erga suam prolem, de quibus vid. plenius *sect. nostram* §. 2.

§. III. Deficientibus autem vel morte sublatis parentibus, cum præter intentionem naturæ, quæ ad id parentes impuberibus dedit, naturalis tutela pereat, nihil & æquitati & officio magistratus magis conveniens est, quàm ut hic pupillis sibi subjectis de tutoribus prospiciat, cum in eorum cura non minima administrandæ reipubl. pars consistat. Unde simul apparet, quàm accuratè hæc materia à Jctis nostris pertractata sit. Hi enim rationem naturalem secuti omnibus reliquis tutelis testamentariam præferunt, *L. 9. §. 1. de tut. & rat. distrab. L. 11. de test. tut.* quia nemo credendus est melius velle consulere liberis, quàm qui à natura ad id datus impuberibus & concessus est. *L. 36. pr. de Excus. tut.* Cessante verò hac testamentariâ, quæ quàm proximè ad illam naturalem, parentibus injunctam, accedit, demum leges civiles illam admittunt, quàm legitimam vocant; *per d. l. 9. §. 1. & d. l. 11.* & denique dativam.

§. IV. Quod licet accuratissimè pariter ac utilissimè juris Romani conditores tractarint, tantum tamen abest, iis obligari summas orbis potestates, ut legibus civilibus, quarum obligatio tantum ad subjectos pertinet, ne quidem jus de tutelis Illustrum Pupillorum in regna & Principatus succedentium definitum fuerit.

Sum-



☉ 3. ☉

Summæ enim Potestates, sicut nullum prorsus superiorem agnoscunt, ita nullô aliô quoque nisi divini & naturalis juris vinculo tenentur. Hinc non indigna mihi materia visa fuit de Tutelis Illustrium, tum in genere, tum in specie in Imperio nostro, paulò accuratius disquirere, ejusque fundamenta partim ex jure gentium, partim ex Constitutionibus imperii decidere.

SECTIO I.  
De Tutela in genere.

SUMMARIUM.

- |   |   |
|---|---|
| <p><b>T</b>utela Definitio. (sitivi.)</p> <p>2. Origo, &amp; quòd sit juris potestas.</p> <p>3. Natura esse ad id constitutos parentes.</p> <p>4. His præ mortuis autem magistratus officio contineri curam ætatis impuberis.</p> | <p>Hinc hoc specialis concessionis apud Romanos fuisse: id num hodieque obtineat?</p> |
|---|---|

§. I.

**T**utela est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem se ipsum defendere nequit, jure civili data & permessa, uti Servius eam definit in §. 1. f. de tut. & L. 1. ff. eod. Quæ cum à Vinnio Bachovio aliisque Institutionum & Pandectarum commentatoribus abundè factis explicata sint, actum non agemus.

§. II. Ex ipsa hac definitione patet tutelam non tantum quoad formam suam, sed & quoad originem esse meri juris positivi seu arbitrarii. Generalis enim juris naturæ regula est, neminem hominem alteri esse subiectum, neminemque habere facultatem & potestatem jure naturæ in alium, nisi vel ex jure imperii, (quod parùm accurate distincte quæ quidam Dominium



eminens vocant) vel ex societate domestica; unde omnino sequitur tutorem quoque jure naturali nullam prorsus in pupillum, qui est extraneus & ejus imperio nullo modo subjectus, habere facultatem. Neque obstat quod in §. p. f. de Atil. tut. dicatur: *Naturali juri conveniens est, ut is, qui perfecta aetatis non sit, alterius tutelam regatur.* Etsi enim juris naturalis in genere sit, pupillum alterius consilio regi, non tamen inde sequitur, definitum eo jure esse, per quem patre mortuo regi debeat, idque fieri debere per tutelam, quia civis educatio alteri civi committitur. Sed & aliud est, an quid dicatur juri naturae conveniens, aliud an ex jure naturae originem suam ducat. Neque enim per jus naturale ibi Imperator aliud quid intelligit, quam aequitatem naturalem, cui, sicuti ipsae leges civiles reliquae, ita & haec, quae de Tutelis agit, quam convenientissima esse debet, sicut hoc ipsum, quod in d. §. p. dicitur jus naturae, in L. 1. ff. de min. vocatur aequitas naturalis. Hinc etiam indefinite in §. 1. Inst. de tut. dicitur, tutelam esse juris civilis tantum.

§. III. Naturam equidem constitutos ad id esse parentes, ut curam impuberum, qui ab ipsis geniti sunt, gerant, per plurimas rationes probari potest. Et luculenter satis id apparet ex instinctibus illis, quos non tantum hominibus, sed ipsis brutis a natura ad alendum educandumque prolem suam inditos videmus; unde & Euripides in Dycie tragœdia, hanc unam omnium legem esse ait, quae est hominibus inter se & cum ceteris animantibus communis sit. Et liberorum educationem, juris naturalis, quod natura omnia animalia docuit, esse, tum Jctus in L. 1. §. 3. d. Just. & jure, tum Impp. passim tradunt in pr. f. de f. N. G. & Civ. L. f. §. 5. C. de bonis  
 -imo  
 que



☼ 5. ☼

*que lib. 5. in l. un. §. 5. vers. Sileat C. de rei uxor. ad.* ubi hoc ipsum  
 vocant naturalem stimulum. Neque alias obscura est  
 ea naturæ ac Creatoris intentio, qui id egit voluitque,  
 ut animalium in primis species conservarentur & quasi  
 æternarent propagatione, quod fieri nequit nisi speci-  
 es producta aliam speciem porro propagare possit.  
 Cum itaque id homo non possit, cum editur, sed cum  
 pubescit, constat durare hunc actum gignentium, quo  
 speciem similem propagaturi sunt, usque ad puberta-  
 tem, nec ante consummatum prorsus videri hoc pro-  
 pagationis quasi negotium, sed quodammodo imperfe-  
 ctum. Adeo itaque gignentium officio cohæret geniti  
 usque ad pubertatem educatio, ut hæc ipsius genera-  
 tionis continuatio, & quasi quædam ejus *τελειωσις* vi-  
 deatur. Quod autem divisâ sint hujus actus seu pro-  
 pagationis tempora, & ex quo homo ita organis est in-  
 structus ut seorsim vitam agere possit, separetur à pa-  
 rente, quodque reliquum est propagationis, extra u-  
 terum perficiatur, id plurima quidem naturæ provi-  
 dentiâ factum apparet, quò partus facilius & majore  
 cum suo tum gignentium commodo crescere, ipsæ in-  
 terim propagationes multiplicari, & homo editus ea,  
 quæ usu sensuque percipienda sunt, haurire, ipseque  
 adeo rationis usus maturescere ante pubertatem pos-  
 sit, neque ante prolis generandæ (quod pubertate con-  
 sequitur) quam ejus educandæ facultatem à natura a-  
 deptus videretur. Quod tamen non impedit, quo minùs  
 ista educatio pars quasi generationis, & cum gignen-  
 tium adeo officio conjuncta connexaque sit. Accedit,  
 quòd, cum supra in proœmio deduxerimus, tutelâ adeo  
 necessariam esse humanæ societati, ut sine ea brevi in-  
 teritura sit, nulla prorsus ratio reddi queat, cur hæc



☼ 6. ☼

educatio, quæ à certa persona fieri debet, potius extraneo, quam parentibus competat, cum tamen ad hos tantum liberi pertineant, & nulla ipsis cum extraneis connexio sit. Et hoc quidem adeò verum est, ut hanc tutelam vix aliis à parentibus mandari posse putem, cum eorum personalem industriam elegerit natura, uti in casu non dissimili, lactationis scilicet à matre præstandæ, differit *Gellius Noct. Att. l. 12. c. 1.*

§. IV. Hæc itaq; tutela est, quam natura constituit, parentibusq; ad tuendam prolem suam injunxit. Hi igitur à natura liberis dati tutores si præmorianantur ante liberorum pubertatem, deficit naturæ dispositio, nec ab ea in hunc casum aliter iis prospectum apparet, adeoque succedit jam officium Magistratûs & Legis civilis, quo suppletur hic defectus & loco parentum alia tutela constituitur, quæ proinde est ex mero Jure Civili, cujus, ut & Magistratus officium in administratione Reipublicæ & tuitione sibi subjectorum consistit. Cum igitur pupilli, qui territorii finibus continentur, omnino inter subjectos recenseri debeant, & præ reliquis omnibus defensione & tutela indigeant, (ipsi enim rebus suis vel ob judicii imbecillitatem vel ob affectuum in vana impetum uti Excell. Dn. de Pufend. *Lib. 1. cap. 1. §. 10.* loquitur, satis dextrè præesse nequeunt) omnibus sanè patet, eos, qui reipublicæ præsumt, neglectâ minorum tutelâ non ritè officio suo fungi, nec reipublicam, cujus seminarium quasi pupilli sunt, rectè administrare.

§. V. Hinc etiam rem tantæ dignitatis & tanti momenti tutelam crediderunt Jcti Romani, ut ejus dationem non nisi extraordinariæ jurisdictioni tribuerent. Unde ad solum Principem vel cui is id concedebat,



☼ 7. ☼

debat; pertinebat, l. 6. §. 2. de tut. arg. §. 5. Inst. de Attil. tut.  
§. 1. ff. de tut. & cur. dat. l. 3. eod. ubi quidem etiam mu-  
nicipalibus hæc potestas data est, sed non nisi ex speci-  
ali concessione. Et quoniam apud nos multi statu-  
ant Doctores, & inter eos Frantzkius lib. 1. resol. 16. n. 4.  
& resol. 17. n. 7. penitus hoc hodie sublatum esse, & fa-  
ctum ordinariæ jurisdictionis, hoc tamen simpliciter  
concedere ne utiquam possumus, cum experientia aliud  
nos doceat, multisq; in locis speciales ad id magistra-  
tus hodieq; sint constituti. Quales sunt qui alibi Auf-  
saure dicuntur, alibi Magistratus pupillares, in Statutis  
Mechliniensibus die Wäysen-Weister, apud Christin. ad  
LL. Mechlin. tit. 19. art. 1. & in Decisionibus curiæ pro-  
vincialis Holland. apud Neostad. Dec. ult. Nec quoniam  
movebit, quod hodie Magistratibus civitatum & cor-  
porum id jus competere videmus, nam & jure com-  
muni competeat passim magistratibus etiam municipi-  
palibus; §. 5. ff. de Attil. tut. l. 1. l. 3. de tut. & cur. dat. neq;  
tamen ideò desit esse specialis concessionis, quia, uti  
optimè Gudelinus de Jure noviss. L. 5. c. 13. §. Non adver-  
satur, ait, quævis postea cuilibet magistratui jus hoc datum  
fuerit, non tamen propter jurisdictionem, aut ex eo quod Ma-  
gistratus est, hoc ei competit, sed ob specialem Legis concessionem.  
Unde & alibi ait: Mores in hac materia perparum à Jure  
Romano recessisse d. Tract. lib. 1. c. 17. in fin. Neque adver-  
satur nobis Ordin. Pol. de anno 1577. tit. 32. sed potius pro  
nostra sententia facit, dum ibi in specie Electoribus,  
Principibus, &c. qui non ordinariæ Jurisdictionis offi-  
cium gerunt, sed regalis potestatis jura exercent, hæc  
cura tribuitur, qui inde alicubi etiam vocantur die D-  
ber-Verminde, ut in d. Decis. ult. ubi prælaudata curia  
hoc nomine jus illud sibi asseruit, et, ut additur, civi-  
tates



☼ 8 ☼

*rates judicia & magistratus pupillares constituta habeant. Interim tamen fatemur, si nullus alius magistratus ad id specialiter constitutus sit, eò ipso lege concessum hoc iis esse, qui ordinariam jurisdictionem habent: cum jure quoque communi, ut dictum, omnibus magistratibus municipalibus in specie id jus datum fuerit. dd. ll.*

SECTIO II.  
De Tutela Summarum Potestatum.

SUMMARIA.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. <b>P</b>upillis Jure natura summam potestatem non competere variis rationibus probatur.</p> <p>2. Attamen deferri à populo vel superiore jus succedendi posse.</p> <p>3. Non verò ipsam administrationem.</p> <p>4. Cui interim competat tutela, non satis definitum jure natura esse: ubi simul varias sententia item varii actus recensentur.</p> <p>5. Neq; hoc à judicio defuncti regis dependere probatur, tum per rationes tum per exempla.</p> <p>6. Matres quoq; hoc casu tutelam sibi tribuere non posse ubi exempla contraria allegantur &amp; ad ea respondetur.</p> | <p>7. Infertur non esse id jure naturali satis definitum, adeoque optimum ut id publica Lege constituatur, quæ cessante neminem præ proximis agnatis jus potius habere.</p> <p>8. Officium tutoris in quo consistat, &amp; ad quæ teneatur.</p> <p>9. An hac tutela quoq; Legibus civilibus obnoxia sit? Aff. nisi quatenus id remissum.</p> <p>10. Terminus tutela jure natura est pubertas.</p> <p>11. Jure Civili Romano tamen hic quædam prudentissimè addita esse.</p> <p>12. Nullum quoq; regnum esse in quo non ut minimum pubertas regis requiratur. Possit tamen volente rege terminum extendi.</p> |
|---|--|

§. I. Ha-



§. I.

**H**Actenus pauca prælibavimus de tutelis in genere: sequitur jam, quid statuendum sit de tutelis Summarum Potestatum, ad quas antequam procedamus, paulò plenius nobis discutienda est illa quæstio: An pupilli jure naturali summæ potestatis & imperii capaces sint? Equidem imperia ac dignitates naturaliter non esse res hæreditarias, vel quæ ætati impuberi convenient, facilè cuique obvium est, cum enim nihil magis personale sit, quàm cujusque merita atque administrationes, quæ in mero personarum facto consistunt, manifestum est, nec dignitates, quæ nihil aliud sunt, quàm meritorum æstimationes, nec imperia, quæ sunt administrationes reipubl., extra personam naturaliter abire, & ad hæredes transitoria esse. Neque hæreditariam successionem in Regna & Principatus hoc jure esse apparet, cum patrimonium sit id, quod ad hæredes devolvitur hæredemque admittit; Regna verò ac Principatus non continentur sub patrimonio seu jure primævo occupandi, in cujus locum successionem venisse Magnif. Dn. Præses in *Colleg. Grot. L. 2. c. 7.* abunde satis demonstrat. Datum quidem homini à natura est, res terræ ad promiscuum hominum usum creatas occupare & acquirere, heredibusque relinquere; at non item respublicas earumque imperia, quæ non utendi, sed justitiæ tuendæ causâ à Natura comparata sunt. Neque capacitas illa personæ quæ in administratione electa est, transit ad hæredes. Accedunt speciales hæ rationes, cur multò minùs impubes succedere possit jure naturali. Cum enim omne officium Principis & Summæ Potestatis intuentis sibi subjectis consistat; Pupilli autem ne propriis

B

quidem



quidem rebus præesse possint, sequitur omnino eos quoque minimè omnium ad regenda reipubl. gubernacula idoneos esse. Adde, quod ad benè administrandam rempublicam exactior quædam providentia requiratur, ut non tantùm præsentia cavere sed & futuris prospicere possit is, qui præest, quæ omninò in minoribus propter iudicii immaturitatem deficit. Ut taceam eorum mollitiam & ad magnas res gerendas minimè aptum ingenium, cum animi fortitudo & constantia præcipuæ boni Principis virtutes sint.

§. II. Verùm, cum in populi potestate sit, cui velit, imperium, quod sibi in sua membra naturaliter competit, concedere, in ejus quoque arbitrio est, an velit in pupillum id transferre. Concessisse autem & transtulisse in infantem quoque tunc videtur, si non in personam tantùm Regis, sed in universam familiam Principatum transtulit; cum enim infans sit pars familiæ, & jus non prius ad populum redeat, quàm extinctâ universâ familiâ, hæc extincta dici nequit, ubi ejus pars adhuc superat. Et dum non determinant, quinam succedere debeant, intelligere videntur eum successione ordinem, qui jure communi valet. Neque obstat, quod populus non possit præjudicare posteris. Hi enim nondum jus quæsitum habent, dum nondum nati sunt, & ubi nascuntur, nascuntur tantùm in jura patentum, quæ hi tempore nativitatis habent. Sic etiam, licet populus antea non consenserit, si postea tamen approbet, sive alio jure gentium successio Principatum ritè constituta fuerit, in pupillos quoque eam descendere dubium non est. Tota itaque successio in regnis imprimis quoad pupillos à consensu populi & jure gentium secundario, quod vocant, dependet.

mohivp

§. III. Hoc



☼ II ☼

§. III. Hoc igitur casu, quando delata est pupillis summa potestas à populo vel superiore, competit ipsis quidem jus succedendi, quod cum semel iis totique familiæ Principali quæsitum sit, auferri non potest; administratio autem ipsa reipublicæ, quæ maturius quoddam iudicium requirit, & eorum fastigio competens educatio aliis committenda erit. Cum enim publicè inter sit privatorum infantes benè educari, bonaq; eorum ritè administrari, quantò magis publicè intererit, ut exactior quædam cura illorum pupillorum habeatur, quibus maximorum regnorum & amplissimarum provinciarum regimen & gubernatio aliquando ipso jure competet?

§. IV. Quis verò interea temporis reipubl. & ipsius pupilli tutelam suscipere debeat, tum jure naturali incertissimum est, quippe secundum quod, sicuti in §. *præced.* vidimus; ne quidem summa potestas infantibus competit, tum tot variæ sententiæ, tamque varii actus, ut nihil supra esse possit. Alii enim, inter quos Maximus Grotius *l. 1. c. 3. §. 15.* distinguunt inter regna, quæ sunt patrimonialia & non patrimonialia, & in illis eorum tutelam esse asserunt, quos pater aut propinqui elegerint; in his, quibus Lex publica seu ea deficiente consensus populi eam mandaverit. Sed cum hæc ipsa distinctio, quod pace tanti viri dixerim, sit penitus vitiosa ac nullius momenti, & revera contradictorium sit, regna esse in patrimonio, sicuti hoc Magnif. Dominus Præses *in Coll. Grot.* solidissimè & latè demonstrat, ex illo sanè fundamento hoc quoque decidi non poterit. Afferunt quidem, ut suam sententiam firmant, exempla regni Epirotarum, in quo, quippe consensu populi constituto, Aribæ pupillo publicè tutores esse



☼ 12 ☼

constitutos ait Iust. l. 17. c. 3. & in simili Macedonum regno ab ejus Proceribus Alexandri M. posthumo, apud eundem l. 13. c. 2. Sed quàm vanum id sit vel inde apparet, quod in iisdem regnis aliud quoque & contrarium obtinuerit. Nam idem Justinus testatur tum de Macedonia; l. 7. c. 5. l. 28. c. 3. & 29. c. 3. tum de Epiri regno, l. 28. c. 1. proximos agnatos; & quos pater elegerat, vocatos esse ad tutelam; licet hæc regna, uti ipsi fatentur & vocant, fuerint *non patrimonialia*. Quemadmodum & in Ægypto, quancquam hoc regnum consensu populi ortum erat, Ptolemæus filio suo tutorem populum Romanum reliquit, apud Val. Max. l. 6. c. 6. n. 1. & in ipso Imperio Romano, quod electivum semper fuit, Arcadius Imp. Theodosio filio suo Isdigetem regem Persarum tutorem fecit apud Procop. lib. 1. de bell. Pers. Sic, etsi pro altero distinctionis membro, quod in regnis, quæ *patrimonialia* appellant, lex vel populus tutorem constituat, adducunt exempla Asiæ minoris bello partæ, ubi Rex Eumenes Attalo filio fratrem suum tutorem dederit, & Pater Hiero in Sicilia regnans itidem filio suo Hieronymo, quos voluerit, testamento assignaverit: ei tamen opponimus ex cit. Justiniani l. 36. cap. 1. exemplum Triphonis, qui licet Syriæ regnum per arma occupatum esset, tamen à populo constitutus est tutor Antiochi minoris.

§. V. Neq; mihi eorum sententia admittenda videtur, qui totum hoc iudicium ad arbitrium defuncti regis deferunt, quasi is succedenti pupillo de tutore prospicere possit, adeo, ut hanc voluntatem sequi teneatur succedens, & populus eos ad gubernationem reipubl. & impuberis regis tutelam admittere, quos defunctus Rex ordinavit. Sed cum illius, qui succedit, æque summa

ma



ma potestas sit, ac ejus qui ultimus reipubl. clavum tenuit, absurdum sanè esset, eum in successorem, qui eandem potestatem, quam ipse, habet, jus & facultatem statuendi habere. Quid quod Rex non possit disporre de jure succedendi, atque adeo nec definire, in cujus potestate is esse debeat, qui ei succedit, cum & post ejus mortem, qua omnia jura tolluntur, adeoque eo tempore, quo incipit causa successionis ac tutelæ, jam planè defierit & morte extinctum sit omne judicium, imperium, potestas, & omne jus defuncti. Et quemadmodum viventis ac regnantis nulla est hereditas aut successio; *l. 1. de Her. vend. l. 32. pr. de Adq. her. & c.* ita nec eo vivente de hæreditate judicium vel quæstio moveri, sed tantum post mortem potest. *l. 94. cod. l. 2. §. 2. de vulg. subst. arg. l. 83. §. 5. vers. & casum de V. O.* Certumque omnino est cum successoris potestas summa sit, nullius eum imperium judiciumque nec quæquam superiorem nisi Deum armorumque eventum, agnoscere teneri. Sæpius quidem gentes videntur secutæ judicium defunctorum regum, & eos, quos hi commendarant, in successione vel tutela regnorum reliquis prætulisse: verum id fecere non ex necessitate juris & quod obligari se eo sensissent, sed ultrò & judicii vel veneratione vel utilitate. Itaque ea judicia defunctorum Regum non dispositionis vim habent, sed commendationis. Unde Philippus cum extinctis liberis sibi successorem vellet Antigonom, dicitur *circum ivisse Macedonia urbes & commendasse eum Principibus. Liv. Lib. 40. c. 56.* De ultima voluntate Caroli Sapientis Regis Galliæ, quæ filio patruum atque avunculum tutores, Ducem verò Andium Rectorem Galliæ fecerat, Proceres in conventu judicârunt & probârunt quidem ultrò judicium Re-



gis sed cum aliqua tamen mutatione & temperamento. P. Æmil. *de Reb. gest. Franc. in Carolo V. in f.* atque ideò expresse tradit idem Autor: quòd Dux Andium Rector Francia, Borbonius Audaxque tutores Regis, testamento Caroli Quinti & iudicio Procerum, habiti fuerint. P. Æmil. *d. l. in Carolo VI.* At cum in conventu Castiliæ produceretur testamentum Johannis Regis defuncti, quo Henrico successori tutores constituisset, offensos eò animos fuisse ac sui iudicii credidisse, an velent id ratum esse nec ne, quemadmodum re ipsa quoque irritum id declaratum fuit, uti Autor est Mariana *l. 18. de Reb. Hisp. c. 15.* Uti & Illustrissimum exemplum in Martino Arragoniæ Rege apud eundem Marianam *l. 19. c. 19. in f. & c. 21.* habetur, qui cum jam mortiproximus esset & turbæ propter successione metuerentur, populus Arragoniæ ad eum misit, qui ipsum rogarent, quem sibi successorem optaret. Et hic prudentissimus Rex, optimè perspicuus nullam aliam nisi commendandi vim sibi competere, sententiam suam quidem tulit, sed quam parva sibi hac in re jubendi autoritas sit, satis innuit, dum, ut Mariana *d. l. 19. c. 20. in f.* refert, dixit: *Hoc consilium nostrum utinam tam felix, quam reipubl. & vobis omnibus salutare esset.* Eventus ipse quoque docuit nullius momenti defuncti regis iudicium fuisse, dum eo non obstante nihilominus acerrimè inter varios regni procos de succedendi jure dimicatum est, donec tandem hæc lis novis ad id electis arbitris decideretur. Vanè igitur in successione Portugalliæ Thuanus inculpat Henricum senem, quòd seminis Philippi R. deterreri passus sit, quò minus decideret, cum in ipsius potestate neutiquam esset de hoc iudicare.

§.VI.



§. VI. Sunt & exempla regnorum, ubi matres viduæ tutelam non modò in personas pupillorum, (quod non abhorret à ratione naturali,) sed & in regna ipsa Principatusq; filiorum suorum impuberum suscipere. Nam non tantum in Gallia *les Reines meres* nomine filiorum imperium Galliæ usurpârunt, sed jam olim hoc nomine Semiramis, filio suo Ninya impubere, regnum tenuit: Diod. Sic. *lib. 2. c. 7.* Tamyris Masagetarum regina mortuò virò fasces capessivit, superstitè filiò adolescentulò, quem Spargapisen vocat Herodot. *in Clio. §. 38.* & Zenobiam Palmyrenorum reginam imperium nomine filii (sive Balbatus is fuerit, sive alius, qua in re collidunt Treb. Pollio *de 30. Tyrannis. cap. 14.* & Vopiscus *in Aurel. c. 38.*) gessisse idem Vopiscus refert. Verum hi casus & mores planè singularissimi sunt, atque à rationibus Juris Gentium alieni: eaqve imperia consecutæ fœminæ istæ videntur, vel vi ac fraudibus, uti de Semiramide variè traditur: Ælian. *Var. hist. L. 7. c. 1.* Just. *Lib. 1. c. 2.* vel speciali consensu populi, qui admiratione inusitatæ & singularissimæ fœminarum harum virtutis muliebri tulit imperium; quod sensim, in morem apud plures orientis populos abiit. Jure Gentium verò secus esse vel inde apparet, quòd gubernatio & defensio reipublicæ naturâ viris, non fœminis competat; & fœminæ imperium ne quidem in familia privata, nedum in civitate ab eadem natura habeant. Et cum ne quidem propriæ filia ex familia, cui delatum est imperium, natæ succedant Jure Gentium in Principatu; nedum viduæ, quæ ex aliena familia per nuptias adscitæ sunt, in Principatûs tutela: facilior enim est admissio ad successionem Principatûs, quam ad ejus tutelam, siquidem illius pupillus quoq; & infans



capaces esse possunt, tutelæ nunquam. Quod autem in Gallia reginæ viduæ nuper imperium gessere cum primario aliquo Ministro Statûs, id recentioris exempli & adversus veterem morem factum est. Olim enim semper ferè agnatus proximus Franciæ procurationem, regem impubere, obiit, uti Clotarii II. tutelam, Guntrannus patruus, P. Æmil. *in Clot. II. Masson. Annal. Lib. 1.* Johannis, Philippus Longus postea Rex, Masfon. *Lib. 3. in Philipp. Long.* Caroli VI, cum impuberis, tum postea phrenetici, Dux Andium, quò fatis ereptò frater & patruus regis de hoc jure internecinis inter se odiis & funestis regni cladibus utrinque certarunt, ut prolixè refert Serran. *Hist. de Franc. dans la vie de Charles VI.* ut adeò contentio omnis fuerit inter solos Principes sanguinis. Prima Catharina de Medicis id artibus suis egit, ut filio suo Francisco II. jam 16. annis majore & actu regnante, rerum ipsa potiretur: Serran. *d. 1. in vita Francisci II.* magisque eò mortuò potestatem, quam semel occupaverat, Gvisiorum, regiæ autoritatis usurpatorum, factione & opibus adjuncta, altero filio vix XI. Annorum puero firmaret, sed obnitente acriter Navarro, primario sanguinis Principe, cum quo & transfigere coacta fuit, ut Prorex ille diceretur neque sine ejus consensu quicquam fieret: & tamen verita est, ne compositam semel de regni administratione controversiam renovaret, uti loquitur Thuan. *lib. 27. ante fin.* Altera illa, Maria de Medicis paribus artibus idem molita est ope primum paucorum ministrorum, qui sibi ipsis ita continuare imperia volebant, ut refert Gramond. *Hist. Gall. l. 1. pag. m. 4.* & ita pergit: *Sperabant fore, ut fæminam regerent magis, quam à fæmina regerentur; Hinc seditiones & bella fore; hinc illis rei privata augmentum, quod præcipuè amant.*



amant. Ex voto res utrisque cessit. Contius Princeps sanguinis filet per metum aut negligentiam, juri renunciat, si quod habuit. Sic in regni administrationem clam vocata regina, palam confirmata. Postmodum verò, ut ex tutrice hostis, ex matre extorris & ærumnosa fuerit facta, recenset idem Gram. l. 2. § 3. & compendiò Priol. d. l. 1. p. m. 11. Novissimè quoque Ludov. XIII. viduæ, ex illius judicio, delata à Principibus ipsis & senatu tutela est. Priol. d. l. 1. p. m. 23. Patet itaque non juris præsidio capisse has fœminas tutelam, sed artibus, potentiâ, transactione, consensu, pietatis specie &c. nec tamen cessasse unquam contentiones cum Principibus sanguinis. Exemplum Galliæ secuta est Ludovici XIII. soror, Carolo Emanuele Sabaudò nupta & testamentò ejus tutrix destinata: verùm eam rem atroci & exitiali bello causam dedisse ait Brachel. hist. lib. 5. ad annum 1673. Deniq; in Sueciæ regno novissimè vidua in partem gubernationis venit, cum tamen præcipua autoritas esset penes Status & Proceres.

§. VII. Cæterum hæc hæctenus omnia de tutela regni disputavimus. In personam verò pupilli quæ tutela & educatio matri superstiti naturali ratione competat, nullum dubium. Quid ergo recipimus de tutela regni? Dicendum utique, rem eam à natura directò definitam non esse, idque vel inde apparere, quia & tutela omnis, quæ post mortem parentum datur, jure civili, quò summi Principes non obligantur, & ipsæ pupillorum successiones in regna, dispositionibus hominum, neutrum autem jure naturali constitutum esse, uti hoc supra ostensum est: ut adeò mirandum non sit, negotium hoc, quod totum dependet à legibus & dispositionibus hominum, jure naturali plenè definitum,

C

&amp;



& in casum, quo tutela naturalis parentum deficit, aliter quam legum officio, prospectum non esse. Interest igitur & pacis & reipub. quam maxime, ut legibus regnorum & Principatuum accurate, vel in ipsa constitutione regni, vel communi Regis & agnatorum placito statutoque, ac procerum quoque consensu id decidatur. Si vero lege vel moribus regni id definitum nondum fuerit, & partes de tutela contendant, non poterit utique quisquam plus rationis & juris ad tutelam regni afferre, quam proximus agnatus. Nam neque mater, cum defensio regni non sit femineum officium, neque populus jus potius allegare potest; cum is omne suum jus ad familiam regiam transtulerit, adeoque eam superstitite gubernatio reip. ei competere nequeat: nedum extraneus, cum nulla ratio reddi possit, cur extraneus, qui nihil juris in regnum habet, præferri debeat ei, qui proximam succedendi spem habet, atque adeo suum suæque familiæ ferè negotium gerit. Estque ejus exemplum præclarissimum in Spartano illo legislatore Lycurgo, qui Charilli filii fratris sui Polybitæ tutelam, usque dum ad adultam ætatem pervenisset, administravit, & postea, cum pubes factus esset, restituit. Justin. *hist. lib. 3. c. 2.* Talium exemplorum plena ætatum omnium memoria est, atque adeo recte dixit Bodinus *l. 6. de repub. c. 4. p. m. 1039.* *Majores nostri, ut puero Principi ac regno caverent, procurationem quidem regni proximis agnatis, liberorum verò educationem matri permiserunt.*

§ III. Officium tutoris regni idem est, ac regis; utrumque in tuendo legitimo jure regni ac civiū, & potestate agendi ea omnia quæ ad feliciorum istius juris executionem pertinent, consistit. Unde certum quoque est, apud eum esse



esse arbitrium belli & pacis, uti vel hoc seculó satis apparuit exemplis Galliae & Sveciae, in impubere horum Regum aetate. Nec minus constat, teneri tutorem ad ea, ad quae a natura obligatur administrator alienae rei, puta, ut non tantum ex fide gerat, sed &, ut gestae rationem pupillo adulto reddat, & reliqua praestet. Si ubi ergo ea non exigatur, id fieri manifestum est, quia adultus vel indulgentiam suam, vel veneratione tutoris id remiserit, aut alias id ita in regno jure constitutum sit. Nam & ita constitui tutores regum solent, ut interim solo cognomine a regibus differant, uti de Antigono Philippi tutore loquitur Liv. lib. 40. c. 54. & hodieque exempla sunt in Anglia, ut tutores interim dominorum instar habeantur, nec rationes perceptorum reddere teneantur.

§. IX. Caeterum id quaeri potest, num tutela regni ita hominum factó constituta legibus civilibus obnoxia sit, cum pupillus, cujus tutela geritur, iis solutus sit? Equidem multum interest inter jus illud, quod constituitur inter tutorem & pupillum, & illud, quod inter pupillum & subjectos ipsius vel alios. Prius, quod inter tutorem pupillumque ejus intercedit, jure civili definiendum, & ex eo tutela gerenda est, cum tutores isti summam potestatem non habeant, sed administrant, eique subjecti sint, omnes autem subjectorum actus obnoxii indubie sunt legibus civilibus: nisi moribus aut legibus regni remissum quid fuerit, uti cautio est &c. Inventaria vero confici ideo plerumque necesse non est, quia in regni camera archivisque ea publicam auctoritate confecta designataque habentur. At alterum jus illud, quod vertitur inter pupillum & cives aliosve, & a tutore nomine pupilli exercetur, ex

C. 2

solo



solo jure naturæ censetur: uti si testamentò minus so-  
 lenni aliquid pupillo relictum sit, vel fœderum aut bel-  
 li denuntiandi negotium similisque causa agitur; &  
 in omni deniq; jure pupilli, quippe, qui revera jus Ma-  
 jestatis summæqve Potestatis habet, etsi ab alio admi-  
 nistratum. Pupillus itaqve & ipsius nomine tutor  
 jure gentium utuntur & obligantur, at adversus pupil-  
 lum ipsum tutor jure civili.

§. X. Vidimus hactenus, cui jure naturæ tutela  
 competat, & in quo consistat, sequitur jam quando illa  
 eodem jure finiatur? Quod tantò difficilius est defini-  
 tu, quia vix ulla alia in re adeò diversa variarum gen-  
 tium statuta inveniuntur. Alii enim terminum hunc  
 usque ad tertium pubertatis annum, alii usque ad nu-  
 ptias, seu donec cælibes essent, extendebant, alii donec  
 publicè inter viros ascriberentur, de quorum varie-  
 tate ex Solonis, Pittaci, Charondæqve LL<sup>bus</sup> orta vid.  
 Dyon. Halic. l. 2. c. 27. Sic apud Hebræos finis tutelæ statu-  
 tus erat annus XXIII. apud alios uti, Romanos, XXV.  
 Nos vero in tanta legum humanarum discrepantia di-  
 cimus, eo usque jure naturæ tutelam durare, usque  
 dum pupillus ad maturitatem pervenerit, ut se ipsum  
 exhibere possit. Terminum verò hunc naturâ incipere  
 à pubertate, cum incipit potestas generandi, obscu-  
 rum non est. Cum enim, ut supra hoc deduximus, finis  
 summi rerum creatoris, qui facultatem generandi ho-  
 minibus concessit, fuerit, propagatio specierum & hu-  
 mani generis, quæ fieri sine educatione proles nequit,  
 sequitur, eam ætatem, quæ habilis est ad generandum,  
 & naturaliter habilem esse ad educandam prolem, & sic  
 per consequens quoque ad gubernandas res alterius;  
 cum educatio partus nihil aliud sit, quam ejusmodi  
 guber

oloi



gubernatio: neque alius terminus à natura definitus ostendi potest: prout & lege civili idem, qui naturali, terminus pubertatis definitus est, & solo prætorio jure puberum ætati Curator præficitur. Est igitur merè civile, quod jure veteri Romano constitutum erat, ut hoc jus in liberos perpetuum esset, nisi ultrò pater se eo abdicasset, dum emancipasset: Jure enim gentium educatio seu tutela constituta est propter defectum ætatis, seu quia impuberes ipsi rebus suis præesse nequeunt: qui quidem defectus si cessat & ipsum illud jus cessabit, secundum communem scholarum regulam.

§. XI. Duo tamen hæc prudentissimè Jcti Romani & Prætores addiderunt; (1) Ut maturitas & pubertas certo quasi temporis momento definiretur, cum nullus adeò certus terminus jure naturæ esset, & tamen hoc utilissimum, quoniam necessarium erat, tum ad contractus negotiorumque vim æstimandam; tum, propter plurimas alias causas, quas definire, & in quibus jure naturæ securi esse alias non possemus. (2) Prudenter hoc quoque additum, ne patria potestas, & sic etiam jus educationis pubertate finiretur, sed usque ad annum XXV. duraret, adeò, ut ante eum pupillus plene negotia sua administrare non possit. Quod itidem perquam necessarium erat, in tanta difficultate, quâ nunc, occupatò jam impletoque hominibus orbe, illi se suamque familiam exhibent & sustentant; cum in primævo naturæ statu, quo jus fuit occupandi promiscuè ad indigentiam necessaria, facile suffecisset pubertas.

§. XII. Terminus igitur tutelæ cum jure naturali æquè ac civili sit pubertas, sequitur Regem pube-



rem factum posse, si velit, procurationem regni sui suscipere, neque invitum teneri subesse porrò tutelæ ac tutoribus, nisi alia lex vel mos regni sit. Ita Philippus Rex Macedoniae, cujus tutor Antigonus fuerat, regni habenas cepit 14. annos natus. Justin. lib. 29. c. 1. Franciscus II. Rex Galliae, etsi 15. annorum esset, non tamen tutores habuit. P. Æmil. in ejus vita, & licet ambitio matris Catharinae de Medicis, & Guisiorum factio trahe- ret ad se vim imperii, non tamen tutelæ jus seu no- men usurparunt, sed potentiâ, gratiâ, autoritate ac o- pibus prævalentes dominatum factò ipsò, & rege, qui tardiore ingenio esse dicebatur, indulgente, exercue- runt; idque agnovit regis affinis Philippus II. Rex Hi- spaniae, qui literis ad Regem datis promittebat, se eum contra usurpatores defensurum, *Et d' estre tuteur & pro- tecteur de luy, de son royaume, de ses affaires, contre ceux, qui voudroient changer le gouvernement de l' état, comme si le Roy n' estoit capable de l' administrer.* Serran. sous l' an 1559. De Ludovico XIII disertè Gramondus lib. 1. pag. 52. ita refert: *Sub finem Autumni Rex adultus imperii habenas MO- RE MAJORUM anno ætatis XIV. capessit, majorque de more Parlamenti placitò pronunciat rebus administrandis Equi- dem rege permittente & concedente, vel si ea lex re- gni sit, tutores procurationem regni extendere ad ma- turioræ ætatem possunt; uti Rex Galliae hodiernus 7. Septembr. 1661. ingressus annum 24tum eam de ma- nu matris accepit Priol. Hist. lib. 6. p. 343. Et Serenissi- mus Carolus XI. Rex Sveciæ 17 annos natus anno 1672. in solenni regni conventu imperii clavum atqve insi- gnia cepit. Quin imò pleriqve Reges jam dum egres- si sunt pubertatis naturalis annos, anteqvam ad regni administrationem admittantur, sicuti hoc quoque in E- lecto-*





lectoribus & Principibus imperii nostri in A. B. constitutum legimus, de quibus jam in *sect. seq.* plenius agemus.

SECTIO III.

De Tutela Illustrum Personarum in Imperio.

SUMMARIA.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Cui competat tutela regis Romanorum si is impubes forte electus sit? <i>Dist.</i> | inter tutelam officii Electoralis, & personæ terrarum-que pupilli. Eaque distinctio probatur l. rationibus. |
| 2. An reliquis principibus ferre jus civile locum habere quoad tutelam.              | 8. II. Ex ipsa A. B.  |
| 3. Quaedam tamen mutata esse, imprimis quoad cognatos.                               | 9. III. Pluribus exemplis.  |
| 4. Qui sint tutores personæ, qui Principatum, exponitur.                             | 10. Status litis ac vera decisio de tutelis Palatinis.  |
| 5. In tutela Electorali duo specialia esse.  | 11. Distinctè exponitur, quæ cuiusque tutoris Electoralis partes sint in Comitibus.                         |
| 6. Primum tamen in regno Bohemie cessare.  | 12. R. An etiam matri & avia tutela in Principibus competat? <i>Neg.</i>                                    |
| 7. An Tutela Electoralis testamento mutari possit? <i>Dist.</i>                      | 13. De termino tutela in Principibus.   |

§. I.

Cum Instituti nostri ratio nos jam ad tutelam Electorum & Principum imperii nostri Romano-Germanici ducat, inter eos sicut primum locum tenet Rex Romanorum, ita quoque de ejus tutela, si forte impubes electus sit, primo omnium tractandum erit. Distinguitur autem tutela electi Romanorum Regis, & quæ tripliciter est pro triplici ejus statu: nam tutoribus opus habet, tum ratione personæ suæ & pri-  
va-



vati patrimonii; tum ratione Principatum & feudorum Imperii; tum denique ratione Imperii Romano-Germanici, quod ex electione ei competit. Quoad duas priores nihil differt à cæteris Principibus Imperii, idemq; in Regis Romani, quod in reliquorum Principum tutelis (de quibus *th. pen.*) hætenus jus est. Ultimū verò, scil. publica imperii negotia eorumque administrationem quod attinet, videtur quidem illi, qui ratione Principatum vel personæ Regis Romani Tutor est, etiam provisio Imperii competere; cū Tutor personæ, & consequenter omnibus personæ Juribus ac negotiis datus intelligatur. *arg. §. 17. Inst. de Exc. Tut. l. 14. de Test. tut.* Verū non cedit administratio Imperii tutelæ privatæ, tutorumque arbitrio; sed publica Imperii lege confertur omninò Serenissimis Vicariis Imperii, & in *A. B. tit. 5.* expressè constituitur, ut semper provisio imperii Serenissimis Vicariis tribuatur, quoties vacat Imperium: vacare autem intelligitur, si vel capite destituitur, vel habet quidem caput, sed quod propter ætatem rempublicam administrare nequit; namq; & tum provisio imperii vacat, quia nemini competit: atqui de sola provisione Imperii quæritur, & de sola ea supplenda agitur *in d. tit. 5.* Et hoc quoq; expressè ita decisum est in *Capitul. noviss. Josephi §. 47.* ubi Serenissimus hodiernus Rex Romanorum promittit expressè, se nolle suscipere administrationem Imperii in præjudicium Vicariorum ante 18. annum, quem tamen postea mutatum esse in annum 16. & speciali hoc recessu confirmatum referunt.

§. II. Reliquos verò Principes quod attinet, regula in genere statuenda est, quod eorum tutela regulariter sequatur jus civile, & quæ in jure Cæsareo communi



muni disposita sunt, in tutelis quoque statuum & personarum Illustrium, quippe qui Jure communi Imperii utuntur, obtineant; nisi quatenus id Lege aut moribus mutatum est. Sic in Principatibus obtinere potest triplex illa tutela Jure civili definita, testamentaria scilicet, legitima & dativa, adeo ut prima ratio habeatur testamentariae tutelae, deinde legitimae, denique dativae. Sed & quibus modis tutela in Jure privato finitur, iisdem fere in Principatibus definit esse, sicuti plura hanc in rem affert Illustr. Dn. de Rhetz. *f. in publ. Lib. 1. tit. 23.*

§. III. Verum tamen est, in quibusdam recedere tutelae has publicas moribus, pactis statutisque familiae, vel ex ipsa natura Principatum, a jure privatarum tutelarum, in primis vero quoad personas tutorum; cum enim Jure communi novo perinde in tutela legitima, ac in successione, concurrant promiscue agnati & cognati, ex *Nov. 118. c. 4.* utrumque; secus est in Principatibus; a quorum successione cum excludantur naturae foeminae, & per foeminas cognati masculi, omnino etiam excludentur a tutela: omnis enim ratio injungendae tutelae legitimae est spes successione; quae tota cessat respectu Principatum in foeminis. Neque ratio patitur, cum foeminae ne quidem proprio nomine & jure Principatum gerere possint, ut alieno possint; & quae propriam suam causam in principatu, (ubi ordo successione eas tangeret) tueri nequeunt; nedum alienam poterunt. *arg. l. 1. §. 5. de Postul. & c.* Idque jure gentium in regnis, *sect. 2.* & sanctionibus imperii in Electoratibus firmatur.

§. IV. Hinc igitur haut levis momenti scrupulus oritur, cum tutor personae, quae individua est, detur, D eoque





eoque omnibus ejus bonis ac negotiis datus videatur, nec tutorem habenti alius tutor dari possit, *per notis.* quomodo alius possit esse tutor personæ & patrimonii privati, alius territorii: uti si pupillus Princeps habeat forte agnatos remotiores, & cognatos propinquiores, vel matrem & aviam. Quod si enim dicamus, alterutrum tutorem sufficere, eumque tutorem esse personæ, omniumque ejus jurium; jam porro quæritur, quis ergo præferri debeat; an agnatus, ut ei quoque cedat tutela personæ, & bonorum ejus privatorum; an proximiores cognati, ut hi, ceu personæ dati tutores, per consequens omnibus ejus juribus, etiam publicis, ac Principatibus tuendis dati videantur? Quam rem ut paucis definiamus, non dubium equidem est, si Tutor à superiore, v. lgr. Camera, vel testamento, (ubi testamento id fieri potest) simpliciter personæ detur, eum solum tutorem esse; quia dans & potuit quoad omnia, etiam territoria, dare, ut supponimus, & voluit ita dare, cum simpliciter & indistinctè pupillo dederit: neque hinc contendunt jura agnatorum & cognatorum, quia hæ tutelæ non ex jure cognationum, sed ex jure & voluntate dantis deferuntur. At si de legitima tutela sit inter agnatos & cognatos, ex ratione juris necessariò separandæ sunt tutelæ, & cognatis proximioribus tutela personæ & rei privatæ, agnatis autem Principatus tutela debetur: non enim cognati, eò quod personæ & consequenter bonis dati sunt, Principatus quoque fræna capessere possunt, quia Principatus non continetur sub bonis vel patrimonio, neque in accessionem rerum privatarum venit: Nec contra, agnati exclusis cognatis proximis tutelam personæ & bonorum gerere possunt, quia Principatus causa constituti sunt, adeo.



☀ 27 ☀

adeoque rei, non personæ. Denique, cum cujusque jura distincta sint, & quisque jus quæsitum respectu Tutelæ sibi delatæ habeat, non potest alter alteri id auferre. Neque movet, quod ita duplex tutela sit ejusdem pupilli, cum tutela Principatûs propriè, & ex sensu juris non sit tutela, sed Principatus administratio; unde & hi tutores communiùs Administratores, Rectores, vel Regentes dicuntur. Idque ita usu obtinere, in sequentibus apparebit.

§. V. Præmissis huc usque quæ de tutela Regis Romanorum & Principum in genere tractanda erant, ordo nos jam ducit ad Electores tanquam præcipua imperii nostri membra & fulcra. In quorum tutela ex constitutione Caroli IV. in A. B. duo specialia præter jus commune occurrunt: (1) ratione modi, quod proximus agnatus, seu qui proximam succedendi spem habet, hanc tutelam administret. (2) ratione termini, quod hæc tutela, non, uti alias, anno XIV. sed anno XVIII. finiatur, sicuti hoc expressè ita in A. B. tit. 7. sancitum est.

§. VI. Primum tamen, scilicet, quod hæc tutela ad proximum agnatum pertineat, aliter se in regno Bohemiæ habere testatur Strauchius *Diff. Exot. 4. n. 2.* ubi jure regni istius proceribus tutelam competere dicit, & præjudiciò quodam rejectorum tempore electionis Caroli V. legatorum, quos Sigismundus, tanquam proximus agnatus, miserat nomine Ludovici Regis Bohemiæ, defectum ætatis patientis, comprobatur.

§. VII. In Electorali verò tutela occurrit jam vetatissima illa quæstio, an hæc tutela, quæ vi A. B. proximo agnato data est, testamento mutari possit? Quæ quidem quæstio in Imperio, & præsertim in Palatina-



tu, uti animis & motibus, ita magnis in utramq; partem voluminibus, à Marquardo Frehero & Dionysio Gothofredo summis; Cuius pro Palatinis; pro Neoburgicis verò à Johanne Zechlino, Gevoldò, Zacharia Friedenreich, aliisque pasim editis, quorum mentionem facit Antonius Colerus *de jure imperii Sect. 56.* mirum in modum agitata fuit. Sed hi omnes ex hypothefi juris civilis rem tractarunt, eoqve non modò inter se mirificè, sed & secum haud parum pugnant. Ut paucis rem decidamus, accuratè in primis separanda est in Electoris pupilli tutore duplex administratio; una Principatum & terrarum bonorumq;, altera ipsius officii Electoralis & Archiprincipalis: Illa tantùm in tuendis terris, bonis & persona pupilli consistit; ac iisdem committi ea potest, quibus & reliquorum Principum ac Statuum tutela, idemque propè in iis jus est: Hæc verò in jure, voce seu suffragio, ac potestate eligendi, exercendiqve officia ac jura non Principatus, sed Imperii, quæ Electoribus competunt, eorumqve præcipua sunt. Hoc officium Archiprincipatus & potestatem eligendi Imperatorem nullò modò alii tutori tribui posse quam ei, qui in A. B. ad id specialiter datus & constitutus est, certa ratione constat. Hoc enim officium & hæc potestas, etsi Principatus pupilli inhæreat, non tamen Principatus, sed Imperii negotia complectitur, nec ad illius territorii, sed ad hujus imperii causam & Jus publicum pertinet. An verò quisquam dixerit, Principem aliquem Imperii posse de ipso Imperio, ejusqve administratione & officiis, deque jure eligendi Regis Romani testari, suoqve arbitrio disponere? Cum præsertim hæc functiones Archiprincipum & quæ inde dependent, uti publica Imperii jura sunt, ita & jure publi-



publico, publicaꝓve autoritate definita constitutaꝓve, non autem privato arbitrio relicta sint, quæ proinde à Principe, qui hac in parte consideratur ut privatus, mutari nequeunt. Quin, si ultima voluntate horum officiorum administratio relinqui queat, evenire posset, ut hæc ipsa quoꝓve fœminæ tribuerentur, quæ proinde, quod nimis indecorum esset, tunc etiam interesse! posset conventibus Electoralibus, & comitatui publico, ac munia illa solennia, ad mensam, aliaꝓve, quæ Archi-principum officio cohærent, exercere deberet. Sed & extraneis, ac pluribus committi hoc officium Electorale testamento possêt, plurimaꝓve alia pullularent inde absurda, & regni atꝓve imperiî nostri legibus fundamentalibus contraria.

§. VIII. Videamus jam porrò, an etiam *A. Bull. d. tit. 7.* de solis hisce officiis & potestate eligendi Imperatorem, non verò de tutela ipsius Principatûs ac personæ agat? Ubi sanè inveniemus in toto illo titulo nullam prorsus mentionem Principatûs aut ejus administrationis fieri, sed tantum constitutionem factam esse *de JURE, VOCE & POTESTATE ELIGENDI, & quæ iis cohærent*, quæ quidem voces quinqvies in *d. tit. 7.* repetitæ inveniuntur. Et hoc patet (1.) ex occasione hujus constitutionis, quæ erat, ne disceptatio inter Electorum filios super *Jure voce & potestate præfata*, quæ verba A. B. sunt, oriretur: quo præmissò deinde transit ad tutelam, ubi proinde de *hoc jure voce & potestate* etiam tantum agere videtur, cum præsertim non dicatur, ne disceptatio oriatur de Jure administrationis sed tantum de *loco, voce & potestate*. Deinde in ipsa tutelæ constitutione, quæ est *§. 4. dict. tit. 7.* iterum nulla mentio terræ aut Principatus fit, sed tantum juris illius & potestatis: hæc enim *d. §. 4.* verba sunt: *Et ta-*



☀ 30 ☀

*lis successio in primogenitis & heredibus Principum eorundem in jure & potestate praeiudicatis, perpetuis temporibus observetur, & sic statim subiungit de tutela. In fine quoque d. §. 4. ubi Imperator constituit, quando tutela haec Electoralis finire debeat, & ad quid tutor ejus teneatur, nihil quicquam de Principatus administratione adjicit, sed tantum dicit: Si legitimam aetatem attigerit impubes filius Electoris, jus vocem & potestatem, & omnia ab ipsis dependentia tutor ipse sibi totaliter cum officio teneatur protinus assignare. Unde facile apparet, A. B. tantum loqui de Archi officiis illis & juribus, quae ab his dependent, non vero de ipsa terrarum administratione. Idemque longe latius clariusque demonstrat Bulla Sigismundi, apud Gold. tom. 1. ad ann. 1434.*

§. IX. Quod haecenus ex ipsis Bullis ad oculum probavimus, id exemplis quoque & praxi usitata corroborabimus. In primis Illustrissimum exemplum est in Serenissima Domo Brandenburgica, ubi Joachimus I. anno XVI. aetatis suscepit administrationem omnium terrarum suarum, Tutor autem, qui erat ex vi A. B. Fridericus, Franconiam tum tenens, tantum administrationem officii Archiprincipalis, & quae ei annexa sunt: atque ita tunc, ut debuit, intellecta fuit A. B. Sic Cernitius in descriptione X. ex Familia Burggrav. Norimb. Elect. Brandenburg. p. m. 48. refert: Moguntinum tum temporis suasisse Joachimo I. Electori Brandenburgico, ut suscepto homagio adiret titulum & dignitatem Electoralem. Mentem enim A. B. eam esse, ut primogenitus Electoris secularis in Electoratu succedat, aetatem vero, quae minor sit XVIII annis, ei successioni plane nihil derogare, nisi quod ab Electione Regis Romanorum abesse juberet eum, qui decimum octavum aetatis annum nondum attigisset. Et haec quoque praxis in ipso Palatinatu obtinuit: Nam Fridericus IV. Se-



Septemvir Palatinus, licet nondum XVIII. ætatis annum implevisset, suscepit administrationem terrarum suarum, invito licet, & mirum quantum contradicente Patruo magnò Richardo: qui proinde injustissime terrarum Palatinatus tutelam vi invadere, sed merito frustra, tentavit: Thuan. *Lib. 104. ad ann. 1592. in med.* inani prætextu A. B. quæ de terris non loquitur. Sic etiam Johannes Bipontinus, qui Friderici V. tutor erat, ante tempus tutelæ finitæ ea se abdicavit, imperii tamen negotiis usq; ad XVIII. Friderici annum completum servatis. Spen. *in fam. Pal. Bav. p. m. 21.* Atque hæc positâ distinctione nihil usquam apparebit quod difficile, iniquum, quin quod dubium videri possit: & cessat scrupulus ille, de quo Elector Saxonix & Brandeb. ad Ludovicum VI. Palatinum super hac controversia *d. 31. Jan. Anno 1548.* hunc in modum scripserunt: *Das es ein schwer Thun seyn würde/ wann die güldene Bull/ indem sie den nechsten Agnaten die Vormundschaft aufftraget / die Meinung haben solte/ daß dadurch in denen Churfürstlichen Häusern den Eltern dermassen die Hände geschlossen wären/ daß dieselbe so gar auch keine andere mehr Persohnen und Freunde / dazu sie ein besonders vertrauen hätten/ im Testament und letzten Willen zu verordnen nicht Macht haben solten.* puhel. *tract. de tut. c. 7. n. 81.* Nec hæc tenus improbandum, quod Ludovicus III. palatinus fratrem suum minimum, Ottonem Mosbacensem, præ cæteris Ludovico IV. filio tutorem dederit: idque secundum jus commune, ubi, quamdiu testamentaria tutela speratur, tamdiu cessat legitima, neque hoc in A. B. mutatum est, nisi quantum ad officia Electoralia: de his enim tantum sermo est in A. B. nulla verò mentio fit administrationis terrarum, atque sic hæc relicta videntur sub

di-



dispositione juris communis, cum nulla ratio sit, cur id, quod mutatum non est, stare prohibeatur *arg. l. 27. pr. C. de test. l. 32, C. de Appell. & Consultat.*

§. X. Hinc pronum est cognoscere Statum controversiæ adeò famosæ de casu gemino tutelæ Palatinæ, altero Friderici IV. altero Friderici V. illius enim Tutor fuit agnatus Johannes Casimirus, exclusi testamentariis; hujus testamentarius, Johannes Bipontinus, excluso agnato proximo: & tamen utrumq; defensum est à Frehero & Jctis Palatinis. In priore specie Friderici IV. rectè defensum id fuit; quia cum Johanne Casimiro alii quoque pariter ad eandem causam universæ tutelæ, & sic etiam ratione officii Electoralis, communiter & æquali jure vocati erant, quod cum salvâ A. B. fieri non potuerit, datio illa tota nulla fuit, & ideo deficientibus testamentariis solus Joh. Casimirus ex lege Tutor extitit. In altera verò specie Friderici V. excluso agnatò proximò solus Bipontinus testamento datus erat: quæ datio de tutela pupilli ac terrarum ejus, si verba testamenti non repugnent, intelligi, atq; hætenus defendi potuit. Verùm quòd proximus agnatus etiam ab exercitio jurium Officii Electoralis exclusus fuerit, probari vel defendi nullatenus potest. Neque obstat, quòd metus à religione agnati Pontificia fuerit; nam id satis cavetur, si personæ ac terris pupilli dentur orthodoxi, relicta tamen Agnato ex lege provisione Officii ArchiPrincipalis. Non sufficiunt itaq; ea, quæ tradit Limn. *de Jure publ. Lib. 1. c. 11. n. 103. & seqq.*

§. XI. Hinc planè sequitur, si alii testamento dati sint Tutores pupillo Electorali ratione personæ & Principatum ipsius, non tamen hos, sed solum agnatum proximum vi Aureæ Bullæ Jus suffragii in eligend-



gendo Rege Romano, habere; quin illum solū interesse posse omnibus illis conventibus Electorum, *denen Wahl- und Chur-Fürsten Tāgen*; cūm hos conventus unice illi habeant vigore officii sui Archi-Principalis, *des Erzh-Amts*/ uti late ostensum à Magnif. Domino Præside in *Colleg. Jur. publ. cap. 8. & cap. 9.* Sed magis dubium, quis hoc casu imperii Comitibus, *denen Reichs- und Deputations-Tāgen*/ interesse debeat? Videtur quidem in his quoque jus suffragii & sessionis esse penes Agnatum, qui ex A. B. tutor est, cūm hoc quoque ex prærogativa Electorali sit, quòd Electores peculiare Collegium in Comitibus constituent. Verūm, cūm Sereniss. Electores jus Comitiorum non exercent vi officii sui Archi-Principalis, *des Erzh-Amts* / sed jure Principum & Statuum Imperii communi, etsi ordinem Collegii quoque separationem præcipua habeant, dicendum omnino, in his Comitibus tutores testamento datos, & quidem solos, jus suffragii habere, si agnatus non sit simul testamento datus, quia non est hic actus officii Electoralis, sed communis Ordinum Imperii: Si vero agnatus quoque testamento datus est, non dubium est, eum in terrarum quoque tutela concurrere. Tutius tamen esse credimus, priore quoque casu potius communi omnium tutorum autoritate ad hæc Comitibus legatum mitti ac instrui.

§. XII. Restat ultimum hujus Sectionis membrum, de Tutela reliquorum ordinum & Principum imperii. Traditum verò jam est supra *in §. 5. hujus Sectionis*, Datos vel testamento vel à Superiore tutores indistinctè omnia, etiam Principatum gerere: si verò contendat agnatus cum proximioribus cognatis de legitima tutela, his tutelam personæ, ejusque bonorum; illi autem curam Principatum seu ditionum competere.

E

tere.



tere. Unde patet decisio quæstionis: An etiam tutela, quæ matri & Avia in l. 2. & Auth. seq. C. Quando mul. tut. off. item in Nov. 118. c. 5. tribuitur, in Principatibus obtineat? Quod quoad administrationem publicam & ratione territorii negatur: Licet enim ratio illa, quæ in d. l. 2. & Auth. sq. traditur, singularis nempe pietas atque affectus, quem erga liberos habere intelliguntur, in matre & avia illustri æquè militet ac in alia, quacunqve tamen obstat, quòd Imperii ac Principatum gubernatio & defensionis, non fœminis, naturâ suâ competat. Sect. 2. th. 6. Sect. 3. th. 3. At personæ tutelam & educationem omnino suscipere possunt. Quod ipse etiam usus præsens comprobat in Ducatu Württembergico, ubi Augustissimus Imperator Anno 1678. Serenissimæ Matri tutelam in personam pupilli, hodierni Ducis Serenissimi, detulit, at Ducatus Administrationem Patruo, cui Consiliarios quosdam adjunxit. Et hoc etiam in ipsis illis Principatibus obtinere videmus, ubi aliàs statuto ad tutelam Principum impuberum matres admittuntur: de qua quæstione conf. Sect. seq. Non defuerunt, qui dubitarent, num illustribus quoque personis tutor non illustris dari possit? Sed certissimum est posse; & ne minima quidem dubitandi ratio. Quod rationibus, legibus, responsis, & usu Imperii, exemplisq; domus Badensis &c. firmat Carpzov. p. 2. dec. 120. Præterea in Palatinatu Raugravorum tutor patruus ipsorum est, & unus è Consiliariis. In domo Wittembergica duo concurrunt Consiliarii, quod & in aliis frequens est. Et cur tutor illustrium esse non possint, qui iudices eorum esse, & jurisdictionem ac imperium in eos habere possunt; uti Assessores Cameræ, & aulici iudicii; & aliorum dicasteriorum Consiliarii?



☀ 35 ☀

arii? Sed fortè tam absurdum est, hoc, in quo nihil dubii est, prolixius confirmare, quàm de eo dubitare. Virtus, merita, officia, quæ justitiæ ac reipubl. tuendæ præfunt, maximè illustrem faciunt.

§. XIII. Quod verò quæstionem illam, quando in Principibus tutela finiatur, attinet, statuit quidem Cothmannus *Consil. 44. n. 52. vol. 1.* apud Arumæum *discurs. X. ad A. B. th. 15.* eundem pubertatis terminum in Principibus esse, qui in Electoribus, & hoc argumentò à contrario sensu ductò probare nititur, scilicet, quia duces, cum Electoribus inferiores sint, multò magis XVIII. anno ad legitimam ætatem pervenire, & ducatum suorum administrationem suscipere deberent. Sed ejus sententia non placet, etsi in quibusdam territoriis, uti in ducatu Brunsvicensi, Principatu Anhaltino, Comitatu Mansfeldiæ, (ubi alii 16. ann. statuunt) &c. ætas 18. annorum sufficiat. Videtur ergo plena ætas majorum requiri, tum propter Bullam Sigismundi *de Anno 1434. §. Et talis successio. 7.* ubi hæc verba habentur: *In Principatibus autem, ducatibus & aliis dominiis temporalibus gubernandis ætatem observandam decernimus, prout à divis Romanorum Imp. & Regibus Prædecessoribus nostris sancitum est.* Goldast. *tom. 1. Constit. Imper. ad ann. 1434.* tum quia argumentum à contrario sensu hic obtinere non potest. Hoc enim tanquam speciale privilegium Electoribus concessum est, quod proinde strictæ interpretationis est, & extensionem non admittit. Cothm. *Rep. Acad. 14. n. 92.* Sic etiam Ferdinandus II. *Imp. ad petitionem Illustrissimi Ludovici Hassia Landgravii, filio ejusdem primogenito Georgio ejusque liberis & omnibus ex corpore domini impetrantis descendentibus heredibus masculis, ad quos juxta familia statutum regimen per-*



venturum esset, hoc privilegium concessit, ut quilibet ex iis, quem ordo successionis ad regimen admittit, quamprimum XVIII. etatis annum adimpleverit, ad instar Electorum administrationem Principatus, ac si legitimam etatem complevisset, suscipere possit, sublatis ex plenitudine potestatis omnibus in contrarium disponentibus juribus & statutis, idque privilegium ita concessum, & adpensa aurea bulla roboratum fuit 18. Novemb. anno 1625. uti refert Linn. Enucl. l. 3. c. 11. §. 12. & Reinking. de Regim. Eccl. & Secul. l. 1. cl. 3. cap. XII. n. 57. Rectius verò dicitur, Principes quoque puberes, si velint, terrarum suarum regimen capessere, posse; sed. 3. §. 9. at quoad alios effectus indigere veniã etatis; cujus Regi Daniã aliisq; Principibus datã exempla habet Reink. d. l.

SECTIO IV.  
De Tutela Feudali.

SUMMARIA.

- |  |   |
|--|---|
| <p><b>V</b>asallis ratione feudi eosdem tutores competere, qui ratione allodii, ubi simul contraria sententia refutatur.</p> <p>2. Secus tamen esse, si alii feudo ritè dati sint.</p> <p>3. Aliud quoque esse in feudis majoribus.</p> <p>4. Quid. An testamento dari possint his feudis tutores? Aff. de praxi Germ.</p> | <p>5. Matri &amp; avia quoque non competere hanc tutelam quoad Principatus, ubi exempla contraria allegantur &amp; conciliantur.</p> <p>6. Ad Dominum etiam deficientibus reliquis agnatis non pertinere.</p> <p>7. Nec ei jus dandi tutorem competere.</p> <p>8. Ubi argumenta contraria refutantur.</p> |
|--|---|

§. I. In



IN tutela feudali, de qua jam agemus, multi quidem sunt, qui putant, agnatos præferri cognatis, ac proinde non eosdem tutores esse in feudis privatis, (de Principatibus &c. dictum *Secd. præc.*) qui in allodio, idq; ex regula *l. 1. ff. & l. 1. cum auth. seq. C. de legit. tut.* Nos verò cum Rosenthalio *cap. 12. Concl. 10. n. 11. 12. & 30.* hanc rejicimus sententiam, & vasallis ratione feudi eosdem tutores competere, qui ratione allodii, statuimus, neq; hoc solum ex contraria praxi apud citatum Rosenthal. *d. l.* apparet, sed etiam ratio juris certissima est *ex §. 18. de Excus. tut. & l. 12. & seqq. de test. tut.* quia scilicet feudum est res quædam singularis, tutor autem non datur certæ cuidam rei, sed personæ, & consequenter universo ejus patrimonio; cum nemo possit personam ritè tueri, nisi tueatur & bona: sub universitate bonorum verò & feuda hæc comprehendere certum est. Et aliàs idem ratione tutelæ pro parte testatus, pro parte intestatus decederet, si is, qui in testamento personæ bonisq; tutor datus est, non etiam simul feudo datus videretur. Deniq; id firmat *pr. & §. 2. Inst. de legit. Agnat. tut.* ubi tum demum legitimi tutores admittuntur, si quis intestatus decesit; si verò quis testamento dedit tutorem, non potest dici ratione tutelæ intestatus decesisse. Neque quicquam interest, an tutores sint testamentarii, an verò dativi vel legitimi. Etsi verò Doctores putant, ideò agnatos debere præferri cognatis in feudis, quia agnati proximam succedendi spem habent; hæc tamen regula tum tantum vera est, quando succedunt in hæreditate, non verò si in speciali & singulari quædam re, qualis feudum est, non magis, quàm si succedunt in fideicommissò fami-



liæ, cui comparantur feuda. Neq; obstat argumentum Brunnemanni *ad auth. Sicut. C. de leg. tut.* quod sicubi statuto agnatus præferatur in successione cognato, ibi etiam agnatum præferri in tutela; & hanc in partem allegat Decium *in l. 43. ff. de R. J.* Menoch. *arbitr. Quest. cas. 150. n. 32.* & Montanum *de tut. c. 15. num. 4.* Respondemus enim, ubi tale statutum obtinet, ibi agnatos consequi successione totius universitatis omnium bonorum, non verò tantum rei singularis, qualis feudum est.

§. II. Quod si tamen alii feudo ritè dati sint, hi omnino allodialibus tutoribus præferuntur. Ritè autem dati tunc videntur, si v.g. allodia & feuda diversis & distinctis in locis sita sint, hoc enim casu etiam Jure communi rei singulari tutor dari potest. *per l. 15. de test. tut.* Sic etiam si feudum sit ita magnum & diffusum, ut unus idemq; tutor non possit sufficere administrationi feudi & allodii, &c. *arg. l. 31. §. fin. de Excusat. C. c.* Add. Magnif. Dn. Præs. *Hypomnem. Jur. feud. tit. 3. §. 14.*

§. III. Aliud tamen esse in feudis majoribus, quibus regalia & jurisdictio coherent, dictum est *sect. 3. th. 4.* ea quippe non possunt videri & dici accessio patrimonii: Jus enim publicum seu civitatis non potest esse accessio juris privati. *d. th. 4.* Et licet hoc quoque feudum non sit hereditas, quæ est universitas jurium privatorum, at est aliquid eam amplius & principalius: nam principatus v. gr. est universitas & complexus omnium jurium publicorum, ut hereditas privatorum; tantum abest, ut sub hereditate contineatur. Unde non obstat, quod tutor, qui personæ datur, etiam simul bonis dari videatur: (sicuti hoc *in §. 1. hujus sect.* asseruimus, ubi simul diximus à testatore in testamento datos tutores in feuda



feudalibus quoque tutelam administrare, non quidem vi dispositionis, testator enim eas dedit personæ, non verò feudo; sed vi legis, quia feuda illa privata considerantur, tanquam pars sub bonis contenta) Hoc enim ne utique in his feudis obtinere potest, quæ Imperii, non bonorum rationibus accensentur.

§. IV. An verò testamentò quoque dari possunt his feudis tutores? Videtur negandum, quia vasallus non succedit defuncto in hujusmodi bonis, sed primo acquirenti, unde quoque non obligatur ex dispositione & ordinatione defuncti, non magis quam si extraneus quidam tutorem dedisset: & cum defunctus ne quidem possit hæredem facere in hujusmodi feudis, nedum poterit tutorem dare: multi enim sunt, qui quidem possunt hæredes quoscunque instituere, non verò tutores simpliciter dare. *l. 1. §. 2. ff. de Conf. tut.* Atque sic, cum feudum regale sit jus quoddam separatum à bonis privatis, inspicitur tantum videtur, quis successurus sit in hoc feudo, quod proinde quodammodo consideratur, ut hæreditas quædam propria. Verum, contrarium obtinuit, hodieque praxi Germaniæ firmatum esse videmus, ut illi, qui testamento dati sunt tutores, etiam his feudis præesse, atque ad id confirmari & reliquis præferri soleant. Magnif. Dn. Præses *in Hypomn. Juris feud. tit. 3. §. 15.* Sicuti id quoque patet (1.) ex multis illis confirmationibus, quæ sæpius hac in causa impetrantur ab Imperatore, Camera, & aulico iudicio. (2.) Ex variis exemplis eorum, qui testamento tutores dederunt, qui etiam reliquis prælati fuerunt, ceu ea adeo omnibus patent, ut longa recensioe opus non esse putem. (3.) Hoc luculentissime apparet ex ipsa *Aur. B. tit. 7.* ubi exceptio ab hac consuetudine habetur



tur in Electoribus ; quamquam non quoad Principatum ipsum, sed tantum quoad jura & officia Electoralia ; sicuti hoc supra late deduximus, atque sic hæc exceptio firmat praxim illam & regulam in casibus non exceptis.

§. V. De matre & Avia jam præoccupavimus dicere in §. 8. *sect. 3.* Unde & intelligitur, an illæ in his feudis possint esse tutrices? Equidem Rosenthalio *cap. 12. concl. X. n. 25. & cap. 6. concl. 40.* magis negativa placet, quia per *cap. 4. X. de Arbitris & L. ult. C. de recept. arb.* fæminæ in feudis non succedunt, & Jurisdictionis incapaces esse dicuntur, quæ feudis cohæret. At Schraderus, *de feud. p. 10. sect. 19. n. 28.* contrarium decidit, idque extendit quoque ad feuda regalia cum Rol. à Vall. *l. 7. Conf. 18. n. 55. & 54. & Burs. vol. 2. conf. 147. n. 3.* & quidem ob præsumtum matris affectum; quæ tamen frivola ratio est. *sect. 3. §. 12.* Neutra pars satis accurate feudi tutorem facit, cum tutor personæ detur; feudum autem privatum sit res singularis, cui tutor non datur. Dicendum itaque tutorem, qui personæ datus est, omnibus ejus bonis, adeoque & feudis datum intelligi, quia feuda privata sub bonis continentur: Qui ergo personæ tutor est, idem & feuda & omnia bona administrat, nec his feudis tutor peculiaris datur. *th. 1.* Unde si mater & avia legitimæ tutrices sunt personæ pupilli, omnino totum patrimonium ejus, adeoque & feuda administrant. Licet vero feudorum & jurisdictionum non sint capaces, tamen secus est, si contineantur universitate patrimonii, quod rite administrat *arg. l. 1. C. de ord. cogn. & c.* Sed aliud esse in feudis regalibus & Principatibus dictum est *sect. 3. th. 12.* Habuimus quidem hoc ipso seculo in Principatu Ostfrisiæ, in Landgraviatu

Cas-



Cassellano & Darmstadiano exempla Illustria contra-  
ria, uti Ameliæ Elisabethæ tutricis hodierni Illustris-  
simi Landgravii Wilhelmi: sed in his familiis speciali  
jure, usu, dispositione vel consensu potius hoc introdu-  
ctum est, quod proinde juri communi derogat. Sed &  
Sereniss. matri Principis Ostfrisiæ, tutelam ejus anno  
1660. obeunti, valde contradixit Patruus ipsius: & ca-  
sus eos singulares esse diximus *sect. præc.* Saxonum ve-  
rò moribus magis receptum videtur, quod matristu-  
tela extantibus agnatis nec ad feuda privata extenda-  
tur. Heig. p. 2. q. 13. n. 42. Carpzov. P. 2. Const. XI. Def. 11. n.  
14. & 17.

§. VI. Ad dominum tutelam deficientibus agna-  
tis pertinere, inter alios statuit Rosenthalius *cap. XII,*  
*concl. 10. n. 36.* Sed perperam, nostrâ sententiâ: quia Do-  
minus neque tutor testamentarius est, hoc enim sup-  
ponimus; neque legitimus, cum tutela legitima solis  
cognatis, iisque, qui succedendi spem habent, defera-  
tur. *L. 1. pr. de Leg. tut. Nov. 118. c. 5.* Neque nos movet,  
quoad Rosenthalius ait ad Dominum reversurum esse  
feudum. Si enim revertitur, non jure successio-  
nis hoc fit, sed jure domini, cum quo consolidatur. U-  
sus Saxonicus hic quoque quid mutet, Vid. ap. Heig.  
*d. 1. n. 43.*

§. VII. Cuinam verò in feudis tutorum datio  
competit? Equidem, cum ostensum jam sit, tutores  
feudo non dari, sed personæ datos omnia, etiam feu-  
da, administrare, quæri de eo frustra videtur. Si ta-  
men in casibus singularibus, ratione feudi, ceu certæ rei,  
dandus est tutor, ut *ib. 2. nobis sententia Rosenth. d. concl.*  
*10. n. 52.* magis placet, quam Schraderi *p. 10. sect. 19. n. 48.*  
& *seqq.* ut tutores non à Domino feudi, sed à magistra-

F tu,



tu, cuius jus est, dari debere putemus. Cum enim tutela datio specialis concessionis sit, neque simpliciter ei, cui jurisdictio ordinaria competit, sed cui in specie hoc à Principe concessum est, uti supra *sect. 1. §. 5.* vidimus, tribuatur, non potest illa competere Domino feudi, cui nec ullibi concessum id jus est, quique ne quidem ordinariam jurisdictionem habet, sed planè singularem, & quæ non pertinet nisi ad controversias Feudales inter Dominum & vasallum vel inter duos vasallos ortas. Tutor quoque tantum datur ei, qui jurisdictioni dantis subjectus est: vasallus autem, quæ vasallus, propriè Domino feudi subditus non est; sed omnis obligatio ex mutua voluntate & consensu oritur. Neque jurisdictio hæc feudalis, quæ tantum inter vasallos & Dominum subsistit, extendi potest ad tertium, tutorem scilicet, qui extraneus est, non vasallus. Et cum Domini feudi Jurisdictio non sit fundata ratione personæ vasalli, sed illius feudi, tanquam rei singularis, apparet sanè, eum tutorem quoque, qui personæ tantum datur, (secundum ea, quæ passim supra diximus), constituere non posse. Plures rationes, quibus Schraderum refutat, vide apud Rosenth. *cit. loco.*

§. VIII. Objicitur quidem nostræ sententiæ, quod feuda non sint subjecta ordinariæ jurisdictioni, atque sic nec magistratui ordinario competere jus tutores in feudalibus dandi. Sed Resp. (1.) Non dari quoque tutorem feudo, sed personæ, & hunc postea vi legis administrare simuletiam bona feudalia. (2.) Falsum quoque est, quod feuda non sint subjecta ordinariæ jurisdictioni. Licet enim eximantur, quantum ad controversias feudales, in reliquis tamen causis omnino quoque magistratui loci, in quo sita sunt, subjacent, sicuti hoc

Ro-



Rosenthalius passim & præsertim *cap. 12. Conclus. 1.* pluribus probat. Unde etiam id, quod quidam huic assertioni obstare putant, scilicet quod in Principatibus non Austregæ, sed Camera tutores det, potius ad confirmandam nostram sententiam facit; inde enim apparet, tutelæ dationem non cuivis, qui jus cognoscendi habet, competere, sed potius ei, cui specialiter à Principe concessum est, vel si is non sit, ordinario magistratui ex tacita saltim concessione. Atque hinc etiam reliqua quæ Schraderus *cit. loco* ex falso hoc principio deducit, nempe quod Dominus tutorem in feudalibus confirmare debeat & *fs.*, sponte sua corruunt. Hæc nunc pro instituto nostro satis.

S. D. G.





Rolundinus passus & crucifixus in monte Calvarie a plu-  
ribus prodat. Unde etiam id, quod quidam hinc as-  
serunt obliuiscuntur, scilicet quod in Principibus  
non Auspice, sed Contra tunc det, potius ad con-  
firmationem nostram sententiam facit; inde enim ap-  
paret, anela dationem non cuius, qui ius cognoscen-  
ti habet, competere, sed potius ei, cui spectatior a  
Principe concessum est, ut non sit, ordinatio ma-  
gistrum ex tacta saltem concessione. Atque hinc  
etiam respice, quae Schydebus et, ex tallo hoc  
principio habet, nempe quod Dominus tunc in  
tandem contineat debet & s. ipse hinc cor-  
rum. Ite nunc pro iustino  
nostro hinc

S. D. G.





















Kg 2147

40

ULB Halle 3  
006 699 111



VOTT

*M*


















DISPUTATIO IURIS PUBLICI;

LIS IL-  
RIUM,

NIS AUSPICIO,  
fCtorum Ordinis

IDE  
BILISSIMO, JURIS-CONSUL-  
ELLENTISSIMO

O COCCEJO,  
CELEBERRIMO,

SSIMI ELECTORIS BRAN-  
O, FACULTATIS JURIDI-  
& h. t. DECANO,

EA  
TUS ELECTORALIS PA-  
LLEGII REVISORII ASSES-  
ENSI DECRETAL. PANDECT.

ORD. MERITISSIMO,  
TORE SMO COLENDO,  
R. M DC XCIII.

io fCtorum  
i Examine submittit

OR  
OVICUS de PRINTZEN,  
estphalus.

is CHRISTOPHORI ZEITLERI,

*Illustrissimo Domino  
de Tankelmann, Mi-  
nistro Status intimo et  
Generali Commissario  
Domino meo Benignissimo*

